Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3225
Quelle:
Copyright:

episcopus dignensis (Petrus de Vercellis) *in presencia dominorum prelatorum et ceterorum principum non tamen regis. plura contra auctoritatem supremam generalium conciliorum exposuit. Ad que pro parte sancti concilij per organum M. thome de corcellis sacre theologie doctoris vnius ex ambasiatoribus concilij basilien. predicti extitit responsum, vt infra sequitur.* En igitur Scripta duo Conventum *Bituricensem* illustrantia. Initium praesentis: *Illustrissimi* &c. *Incumbit nobis ex legationis officio* &c.

XII. *fol.* 119. Tractatus de Autoritate Concilii Generalis supra Papam pro Concilio *Basileensi* divisus in XVI. *Propositiones, Aduertencias siue Capitula.* Cujus initium: *Victus modestia imperantis paterne iussionis cui resistere non licebat* &c. In *Cod.* DCXLI. tribuitur *Bartholomaeo Trajectensi* Carthusiae *Ruraemundanae* Priori, qui annum 1446. supremum habuit, teste *Petrejo* in *Biblioth. Carth.* p. 18. ubi pariter hunc Tractatum ei tribui video, quem tamen *Tritbemius* in *Scriptt. Eccl. n.* 799. dissimulat.

XIII. *fol.* 131. *Responsio sacri concilij basilien. vniuersalem ecclesiam representantis Oratoribus Serenissimi principis domini frederici romanorum regis nec non Reuerendissimorum patrum et illustrium principum dominorum electorum sacri romani imperij in congregacione generali huius sacri concilij conciliariter facta ad peticionem per eos porrectam, cujus tenor sequitur et est talis.* Petunt videlicet: *quatenus modis congruis ad generalis concilij ab omnibus indubitati congregationem infra unius anni spacium perueniatur, loco sue Maiestati et suis principibus electoribus grato rebus gerendis accommodo.* Responsum porro Concilii *Basileam* aegre deferentis legitur in *Mansii Supplem.* T. V. *col.* 25. summatim, ut hic; fuse vero deductum T. XVII. *Collect. Labb.* edit. *Venet. col.* 569.

XIV. *fol.* 132. p. 2. *Responsio Gabrielis olim Eugenij pape IV. Oratoribus romanorum regis et electorum imperii facta.* Initium: *De venerabilium fratrum nostrorum sancte romane ecclesie cardinalium consilio respondemus ut sequitur. Desiderium carissimi in christo filij nostri in romanorum regem electi* &c. Suboffenditur *Eugenius*, quod Concilium *indubitatum* petatur; promittit tamen, se cum Concilio suo in *Lateranum* transiturum ibique deliberaturum, *an eciam aliud concilium numerosius indicere expediat.* Notae loci et temporis absunt, neque Scriptum istud in Collectionibus *supracit.* reperio

XV. *fol.* 135. Considerationes quaedam de Statu ecclesiastico et civili *Geldriae* hoc initio: *Quia timui aliquorum instantem practicam, per quam virtus iusticie si poneretur in esse, ati videretur mirabilem iacturam, Ego humillimus ac deuotissimus capellanus serenissimi principis ac domini mei gracioßissimi domini arnoldi Ducis gelrie professione et precepto me obligantibus spiritu me impellente quibus contraue-*